

**PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART I OF THE
CLASSICAL TRIPOS**

Tuesday 13 June 2000 9 to 12

Paper 3

LATIN TRANSLATION

Answer all questions.

Sections A and B carry equal weight.

It is important to write good English.

Answers from each Section must be tied up in separate bundles.

Write your number (not your name) on the cover sheet of each Section.

SECTION A

Translate into English:

A1 nunc illos qui in urbe remanserunt atque adeo qui contra urbis salutem omniumque uestrum in urbe a Catilina relictii sunt, quamquam sunt hostes, tamen, quia nati sunt ciues, monitos etiam atque etiam uolo. mea lenitas adhuc si cui solutior uisa est, hoc exspectauit ut id quod latebat erumperet. quod reliquum est, iam non possum obliuisci meam hanc esse patriam, me horum esse consulem, mihi aut cum his uiuendum aut pro his esse moriendum. nullus est portis custos, nullus insidiator uiac: si qui exire uolunt, coniuere possum; qui uero se in urbe commouerit cuius ego non modo factum sed uel inceptum ullum conatumue contra patriam deprehendero, sentiet in hac urbe esse consules uigilantis, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem quem iudicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse uoluerunt.

CICERO *In Catilinam* II 27

[TURN OVER

A2

at pius Aeneas per noctem plurima uolens,
 ut primum lux alma data est, exire locosque
 explorare nouos, quas uento accesserit oras,
 qui teneant (nam inculta uidet), hominesne feraene,
 quaerere constituit sociisque exacta referre.
 classem in conuexo nemorum sub rupe cauata
 arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
 occulit; ipse uno graditur comitatus Achate
 bina manu lato crispans hastilia ferro.
 cui mater media sese tulit obuia silua
 uirginis os habitumque gerens et uirginis arma
 Spartanac, uel qualis equos Threissa fatigat
 Harpalyce uolueremque fuga praeuertitur Hebrum.
 namque umeris de moreabilem suspenderat arcum
 uenatrix dederatque comam diffundere uentis,
 nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.
 ac prior 'heus,' inquit, 'iuuenes, monstrate, mearum
 uidistis si quam hic errantem forte sororum
 succinctam pharetra et maculosae tegmine lynceis,
 aut spumantis apri cursum clamore prementem.'

VIRGIL *Aeneid* 1 305-324

A3

Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni,
 trahuntque siccas machinae carinas,
 ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
 nec prata canis albicant pruinis.
 iam Cytheraea choros ducit Venus imminente Luna,
 iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
 alterno terram quatunt pede, dum grauis Cycloppum
 Vulcanus ardens uisit officinas.
 nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto
 aut flore terrae quem ferunt solutae;
 nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
 seu poscat agna siue malit haeedo.
 pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
 regumque turris. o beate Sesti,
 uitae summa breuis spem nos uctat incohare longam.
 iam te premet nox fabulaeque Manes
 et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
 nec regna uini sortiere talis,
 nec tenerum Ilyeidan mirabere, quo calet iuuentus
 nunc omnis et mox uirgines tepebunt.

HORACE *Odes* 1 4

SECTION B

Translate into English:

B1 *Two speakers choose a spot for dialogue*

A. sed uisne, quoniam et satis iam ambulatum est et tibi aliud dicendi initium sumendum est. locum mutemus et in insula, quae est in Fibreno (nam, opinor, id illi alteri flumini nomen est), sermoni reliquo demus operam sedentes?

M. sane quidem.

A. equidem, qui nunc potissimum huc uenerim, satiari non queo magnificasque uillas et pauimenta marmorea et laqueata tecta contemno; ductus uero aquarum, quos isti Nilos et Euripos uocant, quis non, cum haec uideat, inriserit? itaque, ut tu paulo ante de lege et de iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quae ad quietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur. quare antea mirabar (nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam, itaque ut facerem, et orationibus inducebar tuis et uersibus), sed mirabar, ut dixi, te tam ualde hoc loco delectari; nunc contra miror te, cum Roma absis, usquam potius esse.

CTCERO *De legibus* II 1–2

B2

The walnut tree complains

Nux ego iuncta uiae cum sim sine crimine uitae,
 a populo saxis praetereunte petor.
 obruere ista solet manifestos poena nocentes,
 publica cum lentam non capit ira moram:
 nil ego peccaui nisi si peccare docetur
 annua cultori poma referre suo.
 at prius arboribus, tum cum meliora fuerunt
 tempora, certamen fertilitatis erat;
 tum domini memores sertis ornare solebant
 agricolas fructu proueniente deos:
 saepe tuas igitur, Liber, miratus es uuas,
 mirata est oleas saepe Minerva suas,
 pomaque laesissent matrem, nisi subdita ramo
 longa laboranti furca tulisset opem:
 quin etiam exemplo pariebat femina nostro,
 nullaque non illo tempore mater erat.
 at postquam platanis sterilem praebentibus umbram
 uberior quauis arbore uenit honor,
 nos quoque frugiferae (si nux modo ponor in illis)
 coepimus in patulas luxuriare comas.

Pseudo OVID *Nux* 1–20